

HUTTENUS Ulrichus

QUERELARUM LIBRI DUO (1594 vers)

Ce texte a été établi à partir de l'édition des 'Opera omnia' de Hutten proposée par Ernestus Münch et imprimée en Suisse chez J.H. Schwarz Scaphusiar, en 1822.

## I

## QUERELARUM LIBER PRIMUS.

(680 vers)

## ELEGIA I.

Q1\_01 v.1 Dii, quibus extremi diffusa potentia mundi  
 2 cessit, et hoc totum est omnia quicquid habent.  
 3 Vos miser Huttenus lacrimis accersit inultis,  
 4 et querula, si qua est, voce requirit opem.  
 5 Respice, Christe, meos, ita tu quoque passe, labores,  
 6 cum tibi mundanus indueretur homo ;  
 7 respice non veteres casus, sed temporis hujus,  
 8 quam sint fortunis omnia dura meis :  
 9 ecce fuit teneros vehemens quartana per artus  
 10 et caput exhaustum est viribus omne suis,  
 11 Atque ubi desaevit tremebundum in corpore frigus,  
 12 ingruit Aetnaeo non minor igne calor ;  
 13 ipsa etiam est imis vis morbi incussa medullis  
 14 siccaque concusso pendet ab osse cutis ;  
 15 si pedibus conor malefirmum attollere corpus,  
 16 fessa sub hoc tenui pondere crura labant ;  
 17 si manuum officio consuetos molior usus,  
 18 vix possunt siccas brachia ferre manus ;  
 19 nunc humero caput est fultum hoc, nunc incubat isti ;

20           nulla mihi potus gratia, nulla cibi.  
 21       Haec graviora facit lapsis penuria rebus,  
 22           quaeque metum dubiae cura salutis habet.  
 23       Quoque minus valeam, nullis hic fungor amicis  
 24           qui possent tantis me relevare malis ;  
 25       et patria careo nimiumque iis urbibus absum,  
 26           quas bonus implicito flumine Moenus adit.  
 27       Undique tristitia est, ex omni angustia parte.  
 28           Circumquaque aliquid me facit esse gravem.  
 29       Haec tamen ut patiar, superat longum omnia tempus,  
 30           non tantum morbo pauperieque premor ;  
 31       bis fera cessit hiems, toties aestate peracta,  
 32           et valetudo manet quae fuit ante mihi,  
 33       nec levius patior, morbus quoque tempore crescit  
 34           foedaque crescendo est viribus aucta lues :  
 35       sic vaga continuis augentur flumina rivis,  
 36           sic rogos insurgit qui modo parvus erat ;  
 37       non querar ista tamen, neque enim quae ferre necesse est  
 38           haec indignato pectore ferre licet,  
 39       sed movet in nobis miserandam Lossius iram,  
 40           diis notum est liceat quam mihi jure queri ;  
 41       ille, febres praeter, mortali vulnere presso,  
 42           accincto longae, sorte jubente, viae,  
 43       infandum, misero futuras corpore vestes  
 44           abstrahit et, morbum quod gravet, addit onus.  
 45       Nulla viro pietas, neque enim miseratur euntem,  
 46           ut decuit, longum per grave frigus iter.  
 47       Dii, notum est vobis, quantum isto ex tempore pestis  
 48           aucta sit in nobis quae fuit ante minor ;  
 49       ipsum etiam vulnus concepti frigoris intus  
 50           intendit vitae prompta pericla meae ;  
 51       qui jacui durum vehementi frigore corpus,  
 52           semineces morbo concutiente manus,  
 53       quique peregrinos in concava vulnera fletus  
 54           commovi, ut varia sum revocatus ope ;  
 55       quem non permoveam ? Cui non miserabilis essem ?  
 56           Res foret haec duris illacrimanda feris ;  
 57       tunc Phalaris potuit posito flevisse juvenco,  
 58           Busiris maestum congemuisset opus,  
 59       tunc ferus Eurystheus, tunc Thracius ore tyrannus  
 60           dixissent "Poenis est minor ille suis" ;  
 61       movissem torvumque Sinim crudumque Procrustem,  
 62           traxissem rabidas a feritate tigres ;  
 63       omnia movissem, sed enim qui cetera vincit,  
 64           saevior in nobis, Lossius, esse potest :  
 65       hunc rupes inter duraeque ad robora quercus  
 66           nutriit uberibus Afra leaena suis,  
 67       huic, ubi natus erat, quo nil crudelius esset,  
 68           dispositrix vitae saxea corda dedit.  
 69       Haec queror, o superi, donisque ad templa relatis  
 70           ferre pias justa vos precor aure preces :  
 71       dura ferat qui dura dedit, quique undique saevit  
 72           cuncta habeat quae sint saeva inimica sibi !  
 73       Ille meas febres, ille horrida vulnera sumat,  
 74           ille ferat casus, ordine quemque, meos !  
 75       Imprecor ista quidem, sed adhuc graviora meretur,  
 76           omnia sunt vestrae debita justitiae.

## ELEGIA II.

## FACINUS LOSSII.

Q1\_02 v.1 Tempus erat quo post ductos ex ordine menses  
 2 octupes occiduas Cancer inibat aquas,  
 3 undique vis hiemis rapidos constrinxerat amnes,  
 4 undique concretus frigore pontus erat,  
 5 et jam digressum Pomerana ex urbe parabam,  
 6 durum opus et nimium viribus acre meis :  
 7 vertere iter potuit, si vellet, Lossius illud :  
 8 "Huic ego tunc sumpto debitor aere fui,  
 9 sed petii, ut sineret, neque enim jam reddere possem,  
 10 fortunam alterius me subiisse loci,  
 11 sive quid ingenio quaesitum, sive per artes,  
 12 quo possem lucro reddere sumpta viro."  
 13 Annuit et dixit : "Quod abis, ita forte necesse est,  
 14 ergo tibi dabitur, non potuisse, satis",  
 15 sive dolis atque haec simulata mente loquutus,  
 16 sive ita pro mentis nobilitate suae ;  
 17 cum molirer iter susceptum atque arva tenerem,  
 18 emisit comites perfidus ille suos :  
 19 forte fuit juxta salices ex ordine natas  
 20 alta palus duro pervia facta gelu ;  
 21 hac ibam timidusque nihil tutusque favore,  
 22 ut peterem docti moenia Rostochii :  
 23 erumpunt subitoque viri crudele minantur,  
 24 ni faciam parvas omnia dando moras.  
 25 Oravi fudique preces crudelibus istis,  
 26 nec puduit tristes complicuisse manus,  
 27 restabamque nihil, neque enim restare valebam  
 28 epletusque febris vulneraque illa gerens ;  
 29 oranti, qui primus erat, morbumque querenti  
 30 "Non dubita, tecum jam bene, dixit, erit",  
 31 delraxitque humero vestes ; ego plurima flebam  
 32 et duxi oratos in pia vota deos ;  
 33 tendit in adversum longa ille hastilia pectus  
 34 atque ait "Hic, taceas ni modo, vulnus erit".  
 35 Deposui raptos humerum nudatus amictus,  
 36 cetera crudeles eripuerunt viri :  
 37 parva fuit modicis ita tunc compacta libellis  
 38 sarcina de nostro fertilis ingenio,  
 39 hanc tenui saltem, nam qua ditescere possent,  
 40 non, quamquam cupidis, illa rapina fuit ;  
 41 testatusque deos, cum nil fera corda moverem,  
 42 rapta est ex manibus sarcina tenta meis ;  
 43 nudato illusere viri pariterque ferebant  
 44 "I nunc et magni nomina Vatis habe !  
 45 Forte novas aliquis, modo decantaveris illi,  
 46 donabit vestes nudaque membra teget."  
 47 Atque ita ridebant ; ego, quam per frigora possem,  
 48 aggredior coeptam continuare viam.  
 49 Quanta dehinc passus fuerim, quia multa ferebam,  
 50 non patitur durus commeminisse dolor ;  
 51 summa tamen pateant : ita vixi, ut vivere nollem,  
 52 et visum est tantis hoc superesse malis ;  
 53 morbus adhuc mecum est et ea valitudine plector,

54 quae tunc est nimis concita frigoribus.  
 55 Vix aliquid scribo, sed quae nunc scribere cogor,  
 56 vix sunt in tanta condita tristitia,  
 57 atque ea, sollicitos inter conficta dolores,  
 58 omnia cum lacrimis sunt agitata suis ;  
 59 dumque meus somno sub nonam Lossius horam  
 60 solvitur et placidos gaudet abire dies,  
 61 aut mihi per laceros vigilata nocte labores  
 62 rumpitur aut studio quae solet esse quies,  
 63 jactet opes igitur faustamque ex tempore vitam,  
 64 luxuriaequae suae nesciat ille modum ;  
 65 rideat enummes aerumnosasque Camenas  
 66 et malit tepidas vivere delicias :  
 67 nos celebres artes pulchro jungemus honeste,  
 68 peste etiam multos continuante dies ;  
 69 vicerit insanos constans Patientia morbos,  
 70 vincetur studio perfidus ille meo.  
 71 Nec dolet iis vinci, sed tunc fortasse dolebit,  
 72 quando sciet male se consuluisse sibi :  
 73 ipsa graves etenim Virtus neglecta dolores  
 74 aggerit et tacito turbine pectus agit.  
 75 Ha ; c utinam veniant, nec me spoliarit inultus  
 76 qui nunc de nostro gaudet ovatque malo.

## ELEGIA III.

AD PRAECLARUM ADOLESCENTEM WOLFGANGUM DE EBERSTEIN,  
NAUGARDIAE COMITEM, POMERANUM.

Q1\_03 v.1 Parve Comes, non parve tamen, quia tradita virtus  
 2 saepe fuit parvis maxima corporibus ;  
 3 parve Comes, non parve tamen, quia gloria dispar  
 4 saepe etiam teneris fulsit in ingeniis :  
 5 si miser Huttenus prece te miserabilis urget  
 6 et petit afflictis undique rebus opem,  
 7 quid dubitas miseros demittere in aure rogatus ?  
 8 Quidve negas vultum quem decet esse tibi ?  
 9 Nec te difficilem nec te decet esse superbum :  
 10 convenit aetati frons bene laeta tuae.  
 11 Si tibi, quae nobis, eadem fortuna, fuisset  
 12 aut esses simili condicione miser,  
 13 nil magis optares quam qui succurreret unum,  
 14 quique tuis posset obvius ire malis ;  
 15 quod tunc optares, mihi nunc optare licebit,  
 16 fortuna ex omni nubila parte mea est :  
 17 quicquid erat rerum malesano Lossius ausu  
 18 abstulit, ingeniis pestis iniqua bonis ;  
 19 nudus eo, vestram perveni nudus in urbem,  
 20 quicquid erat rerum, Lossius omne tulit.  
 21 Res tulit, ut potuit ; sed me divina voluntas  
 22 ingenio nondum fecit abire meo ;  
 23 ingenium mecum stabilissima munera porto :  
 24 suscipe iudicio dona probata tuo  
 25 cumque suo Hutteno socias assume sorores ;  
 26 pars melior nobis parte abeunte manet.  
 27 Quidquid id est, toto juvenis tibi serviet aevo

28           atque erit ad nutum nostra Camena tuum,  
 29   inque tuas laudes ferventi moliar ore :  
 30       num cupis, o, fato candidiore frui ?  
 31   Haec tibi, clare comes, fato meliore, ferentem  
 32       suscipe, fortunas commiserate meas,  
 33   quodque tibi cuperes fieri, si tu miser esses,  
 34       huc ades et lapsis suggere rebus opem.  
 35   Respice in humanis quae sint discrimina rebus,  
 36       respice quam varium Sors agat imperium :  
 37   quae mihi nunc dura est, potuit quoque ludere tecum ;  
 38       non certum est hoc te posse manere statu.  
 39   Finge tuas volucer veniat Vulcanus in aedes,  
 40       et centum indomito diruat igne domos ;  
 41   finge tuas praiceps ruat ut Neptunus in agros,  
 42       spemque anni, laetas dejiciat segetes ;  
 43   finge repentina confectos morte parentes  
 44       ante diem miseras exposuisse animas.  
 45   Et cum jucundis affines cedere amicis :  
 46       quid superest illa condicione tibi ?  
 47   Dii tamen avertant, ne te mala tanta sequantur !  
 48       Et tu fortunae sic memor esse velis,  
 49   quaeque tibi nondum nocuit, potuisse memento :  
 50       illa quidem ancipiti datque rapitque rota ;  
 51   atque ubi cognoris mentemque immerseris illis,  
 52       fortunae tandem commiserere meae :  
 53   tot crucior morbis, absumque remotus ab illis,  
 54       unde foret misero spes capienda mihi ;  
 55   rebus egens et inops curisque afflictus amaris,  
 56       quamcumque aspicias, hac ego parte premor.  
 57   Haec te permoveant, nec sis in cetera durus,  
 58       auxilioque velis qua licet esse mihi.  
 59   Sic tibi cum membris animus quoque tempore crescat,  
 60       et vivas multos hac probitate dies,  
 61   nec tibi Fortunae facies aversa geratur,  
 62       et super aequales sit tibi partus honor.

## ELEGIA IV.

AD JOACHIMUM NIGEMAN COLLEGIATUM ROSTOCHIENSEM.

Q1\_04   v.1   Tu quoque, Pomerias celebris, Joachime, per oras,  
           2       et titulo et rerum pondere nomen habens,  
           3   musicus Huttenus fortunam expertus iniquam  
           4       et male sublimi trusus ad ima loco,  
           5   nudus, egens, expes, desertus, febribus ustus  
           6       confugit ante oculos, litora visa, tuos :  
           7   sic aliquis longo lassatus navita ponto,  
           8       quod vidit primo lumine, litus adit,  
           9   te mihi praecipue magno rude vulgus honore  
 10       extulit, et famae est copia pulchra tua,  
 11   atque aliquis dicit "Prece si pulsaveris istum,  
 12       mittet opem votis auxiliumque feret."  
 13   Non temere scribo, fidis persuasus amicis ;  
 14       nec movet ingenium causa sinistra meum :  
 15   invida paupertas atque haec violentia morbi  
 16       nonne viros possent sollicitare graves ?  
 17   Tempus erat quo me clementior aura fovebat,

18           quo carui morbo pauperieque mea ;  
 19       tunc alios etiam privata sorte juvabam,  
 20           et nulli nostrum defuit auxilium :  
 21       quae fuit in nobis pietas ita praestita multis,  
 22           haec moveat vultus, o Joachime, tuos,  
 23       sisque mihi facilis precibus persuasus honestis :  
 24           dextera sub quovis iudice causa mea est,  
 25       non mihi, siqua fuit, ludendo perdita res est,  
 26           cum foret ad cupidam aleam jacta manus ;  
 27       non oculata meos diduxit tessera nummos,  
 28           nec volucer positas talus abegit opes ;  
 29       nec me vina, dapes et inepto scorta favore  
 30           fecerunt humilem sortis adire statum :  
 31       est in Pomeriis spoliator Lossius oris,  
 32           ille meas vestes ceteraque ille tulit.  
 33       Nec quicquam in causa est, cur me spoliarit inultum  
 34           obsessor patulae praedam agitando viae :  
 35       vis illata mihi et tumida violentia fastu,  
 36           hanc furiam in damnum compulit ire meum.  
 37       Quod factum est nobis potuit contingere tecum,  
 38           si nescis, varias sors premit arta vices.  
 39       Nec mirum est mihi si voluit Fortuna joculari,  
 40           saepe vel haec magnis ludit in ingeniis.  
 41       Cerne novos casus, priscam reminiscere sortem,  
 42           et, potes, in nobis mollia corda gere :  
 43       Dii tibi, siqua mihi tribuas, in tempore reddant  
 44           et meritum hac pretium pro pietate feras.  
 45       Tu tamen, ut veterum rimasti scripta virorum,  
 46           ut private artes scisque doctesque bonas,  
 47       ut sophiae cultor sinuosa volumina tractas,  
 48           ut calles docto plurima digna viro,  
 49       scis equidem tanta quae pro pietate parentur,  
 50           quid sit in afflictis sorte fuisse pium.  
 51       Pauper in hoc mundo, nec cultu divite vixit  
 52           Christus in humana condicione Deus,  
 53       atque inopes idem divino sustulit ore  
 54           pauperibusque altas ipse recepit opes ;  
 55       Martinus nudo pallam discidit egenti,  
 56           perpetuum sibi nunc induit ille decus ;  
 57       pavit et Elisabeth mensisque induxit egenos,  
 58           nunc tamen aethereis vescitur illa cibis.  
 59       Omnia pro merito nobis pia numina reddunt,  
 60           sive bonum sive es quicquam operate malum.  
 61       Nec posses alium potius quam me miserari :  
 62           multum atque ex omni parte fatigor ego,  
 63       in me grassatur vicibus quartana remissis  
 64           et jaceo vacuum peste furente caput ;  
 65       vivida tabidulum contendit ad ilia vulnus,  
 66           nec mihi luce aliqua est nec mihi nocte quies ;  
 67       huc fera paupertas fatibus accedit iniquis,  
 68           huc longe a patria terra remota mea ;  
 69       Lossius huc raptor, jam nunc quoque fervidus ira :  
 70           omnia sunt fatibus horridiora meis.  
 71       Respice tot casus, animi miserere cadentis,  
 72           sic habeas placidos in tua vota deos.

## ELEGIA V.

AD ILLUSTRISSIMUM POMERANIAE DUCEM BUGSLAUM.

Q1\_05 v.1 Maxime tot princeps hominum, tot in urbibus unus  
 2       cujus ad imperium cetera turba facit,  
 3 Pomera cui tellus certa ditione ministrat,  
 4       cui bona fecundos Rhugia nutrit agros,  
 5 qui praeclara tenes ex rebus nomina gestis,  
 6       qui nisi quos Virtus praebet amas titulos.  
 7 O generis spes una tui, spes una tuorum,  
 8       cujus in hoc felix tempore fama viget,  
 9 si licet, emunctam post mille negotia mentem  
 10       solve, pias miseri commiserate preces :  
 11 cum sedeas iudex, causas censure tuorum,  
 12       et veniant ad te dives itemque miser,  
 13 vertere in afflicti maestissima fata poetae  
 14       et prosit causae justa querela meae.  
 15 Non ego te donis captoque impello favore,  
 16       non ego te falso vincere teste volo :  
 17 causa mea ut justa est, ita te sub iudice vincat,  
 18       et noceat fictas composuisse preces ;  
 19 at mittet sua dona pater, sua munera natus  
 20       Lossius, et causam largitione geret.  
 21 Non ea tu sumes (neque enim tam vana verebor),  
 22       tentabunt tamen ii sollicitare tuos,  
 23 atque aliquis forsitan, ubi ceperit ista, tuorum  
 24       dixerit in partes obvia quaeque meas.  
 25 Sume animos, princeps, fraudesque immobilis illas  
 26       cum bene vitaris, omnia cautus age.  
 27 Subdola magnanimos infringunt munera reges,  
 28       et fama est ipsos haec quoque velle deos ;  
 29 corrumpunt etiam causas sub iudice justas  
 30       et versant nutu jura fidemque suo ;  
 31 haec oculos possunt etiam obcaecare severos,  
 32       ne videant quae sint turpia quidque bonum.  
 33 Qui semel haec sumpsit, semel haec cui visa libido,  
 34       semper habet cupiditas muneris ille manus ;  
 35 et qui dona capit, nihil inconstantius illo,  
 36       fluctuat in partes consilioque labat ;  
 37 nec bene possibile est illum dare jura roganti  
 38       qui plus ex una parte favoris habet.  
 39 Non loquor ista tamen, quia de te suspicer illud  
 40       quo solet in vulgo quilibet esse levis :  
 41 dejiciunt faciles ingentia flumiva campos,  
 42       non eadem scopulos saxaque dura ruunt ;  
 43 sed vereor ne quis noceat mihi, dumque ego simplex  
 44       nil coner, tacitos misceat ille dolos ;  
 45 cumque aliquid possit praesens facundia majus,  
 46       disponat monitus antevenire meos.  
 47 Quicquid id est, dux magne, meas ne sperne querelas :  
 48       accipiunt humiles numina magna preces,  
 49 atque ea ab innocuis et paupertate moventur  
 50       et magis a tristi pectore vota legunt.  
 51 Non moveat si parva meae est injuria causae,

52           sed tanta est, animum tangat ut illa tuum :  
 53       an nihil est, quae tu pro libertate tueris,  
 54           haec aliquem citra contemerare, fidem,  
 55       jusque datum regni sumpto violare furore  
 56           atque ire in leges imperiumque tuum ?  
 57       Haec si parva tibi posita gravitate videntur,  
 58           et potes ipse tuis obvius ire animis,  
 59       paulo aberit, quando populo sperneris ab illo  
 60           quem nunc legitima condicione tenes ;  
 61       paulo aberit, tua cum violata industria pace  
 62           fiet finitimis invidiosa locis.  
 63       Magna est impietas, qui publica jura profanat :  
 64           non levior, fieri qui sinit ista, tamen.  
 65       Tu ne igitur tam durus eris, tam ferreus, inquam,  
 66           ut possis patriae nescius esse tuae,  
 67       vimque sinas fieri cuiquam violenter in illa ?  
 68           Nec malis leges omnibus ire pares ?  
 69       Si mihi non falsa est quae de te fama vagatur  
 70           quaeque tuos mores ingeniumque probat,  
 71       non impune feret summi contemptor honoris,  
 72           si quisquam est leges ausus inire tuas.  
 73       At solet afflictos rebus spoliare poetas  
 74           Lossius, assensu consilioque patris :  
 75       ille, ubi tu regnas, ubi libertate paterna  
 76           tracta tibi a longis regna tueris avis,  
 77       in miserum Hutlenum supremam exercuit iram.  
 78           Quaere quid hic juris subroget ille sibi :  
 79       an, quia debebam quae tunc non reddere possem,  
 80           propterea vis est non male facta mihi ?  
 81       Quin abitum pepigi, quem perfidus ille remisit,  
 82           et sunt ad nutum singula facta viri ;  
 83       Nunc tamen ille negat, dum pro se plurima fingit,  
 84           quem constat facti paenituisse sui.  
 85       At mihi detractas aegroto a corpore vestes,  
 86           quodque tuli in duro tristia multa gelu,  
 87       si te quid miseret, miseri miserere poetae ;  
 88           res est ista tuos digna movere animos :  
 89       non ego sum frigus mediocri triste dolore  
 90           passus, in afflicto corpore febris erat ;  
 91       insuper et vulnus laleri lacrimabile nostro  
 92           haesit et ex omni parte dolendus eram.  
 93       Haec poterant monuisse virum, qui mobilis esset,  
 94           haec potuit saevas causa tenere manus :  
 95       non tenet ille tamen, sed contra juraque fasque  
 96           in miseros dira perditione furit.  
 97       Exige crudelis rationem reddere facti,  
 98           nec patere haec fieri quae prohibere potes,  
 99       quae prohibere potes et quae tu avertere debes,  
 100           neu sine vim fieri saevitiamque mihi.  
 101       Sed factum est, et quis commissa invertere posset ?  
 102           Et satis est hujus paenituisse mali.  
 103       Si satis esse putas, numquam plectenda putabis  
 104           digna vel extremo crimina supplicio :  
 105       quid potuit crudele magis contingere ab illo  
 106           quam si etiam vitae sumpta rapina foret ?  
 107       Non tulit hanc igitur, sed sic permisit ut essem  
 108           qui nihil optarem quam modo posse mori,  
 109       auxit enim morbum, quo nunc quoque supprimor aeger.



110           Nec, certum est, sic me vivere posse diu.  
111       Haec quoque, quam mitto, trepidanti est edita dextra,  
112           saepe etiam lacrimas littera passa meas ;  
113       vix ea prae morbo conscripsi, et plurima possem  
114           addere, sed pestis non sinit iste furor ;  
115       qui si quid levior fuerit, querar omnia coram,  
116           et potes in casus pallidus esse meos ;  
117       et melius credes praesentia verba locuto,  
118           sed dubium est liceat sic mihi scripta loqui.  
119       Tu tamen interea nostris instructe querelis.  
120           Respice fortunam pauperiemque meam,  
121       respice tot casus, fer opem, te iudice nobis  
122           pro tanto reddat Lossius aequa malo.  
123       His ubi permotus nostram miserabere sortem,  
124           et vis arbitrio dirigere ista tuo,  
125       inspice, quo vitam pacto traduxit uterque  
126           Lossius, et quo sit praeditus ingenio :  
127       ille suo miseros condemnat crimine cives,  
128           et facit insontes fraudibus esse reos ;  
129       cumque pia castas oppressit virgine matres,  
130           totaque adulteriis urbs scatet ista viri,  
131       qui, cum iudicio miseros condemnat iniquo,  
132           si tribui censet non sibi posse fidem,  
133       novit honorato (quis enim versutior alter ?)  
134           Munere praefectos sollicitare tuos ;  
135       hos, ubi muneribus pulchroque evicerit astu,  
136           pro se multa tibi commovet apta loqui :  
137       sic tua, sic, princeps, vafer ille negotia tractans  
138           saepe tibi, si fas dicere, verba dedit ;  
139       nunc quoque forte dabit ; sed si pietate moveris,  
140           afficient animos haec mea verba tuos.  
141       Hanc genitor vitam duxit, quae publica fama est  
142           et fieri ex multis res tibi nota potest ;  
143       At suus ille dolis natus graviora paternis  
144           addidit, et nusquam est hoc genitore minor :  
145       ille per infectam justo petulantior urbem  
146           polluit et matres virgineumque decus,  
147       atque alias donis, alias vi oppugnat, et ardet  
148           per fora, per vicos, balnea, fana. Domos :  
149       non ego quid temere (nota est vesania) fingo ;  
150           si fingo, turpi respue scripta nota :  
151       addidit huic titulos sceleri gaudetque vocari  
152           doctor, et in rubra veste decorus ovat ;  
153       sed, quia nil didicit, quia nil nisi turpia callet,  
154           non patitur doctos secum habitare viros,  
155       insidiisque suis verum insectatur honorem.  
156           Hi sunt ii, princeps, quorum ego praeda fui.  
157       Quo decet arbitrio, nostras decerne querelas,  
158           et fac ne de te sit mihi triste queri.  
159       Sic tibi qui mundum, qui te, qui cuncta gubernat,  
160           sit, precor, extremo mitis in arbitrio.

## ELEGIA VI

AD VALENTINUM STEIGETEYN PRINCIPIS BUGSLAI SCRIBAM  
UT QUERELAM PRINCIPI OFFERAT.

Q1\_06 v.1 Fertur ab Hutteno defletis scripta lituris  
2 per te Pomerio danda Querela duci.  
3 Hic queror, ut patria spoliator Lossius urbe  
4 intulit Hutteno vim, sine jure, tuo.  
5 Respice tot lacrimas, miserandum respice morbum,  
6 si potes, et casus commiserare meos.  
7 Olim aderas nobis studiis addictus eisdem :  
8 quid pudet Aonias te coluisse deas ?  
9 Per faciles Musas, per communemque magistrum  
10 perque caput nostrum, per caput oro tuum,  
11 perque tuam, siqua est, qua nunc capiare, puellam,  
12 ne tepidum in nostro foedere pectus agas,  
13 utque tuus per te videat mea carmina princeps,  
14 et tandem ut spolium vindicet ille meum.  
15 Adde tamen si quid pro nostra parte loquendum est,  
16 quo pondus causae dent tua verba meae :  
17 saepe aliqua admotis valuit contentio verbis,  
18 verba movent animos, verbaque pondus habent.  
19 Quicquid ago, dum non verbis praesentibus utor,  
20 facta est, quam fuerat, jam mea causa minor ;  
21 vix licuit nobis re quicquam scribere in illa ;  
22 ut rapiat, patrios Lossius ambit agros  
23 insidiasque mihi quovis molimine tendit,  
24 exercetque suas in mala nostra manus.  
25 Cum mihi non liceat praesenti fungier ore,  
26 vim precor ingenio qua potes adde meo ;  
27 adde meis pondus quovis sermone querelis,  
28 carminibus vivae suggere vocis opem.  
29 Nota mihi doctae satis est facundia linguae,  
30 notum est quam possis omnia rite loqui ;  
31 nec dubium est quin sis nostro praestantior ore,  
32 tu quoniam fluido vincis in eloquio.  
33 Pande duci studiumque meum sortemque sinistram,  
34 lauda illi nostrum qua licet ingenium ;  
35 adde istuc mores, et nostrae stemmata gentis :  
36 non dubium est quin sit mobilis ille tibi.  
37 Ut tamen haec facias, nostro movearis amore,  
38 quem scis ex animo nondum abiisse meo.  
39 Te quondam Odricolae multum coluere puellae,  
40 nec minor in nobis concitus ardor erat,  
41 frater eras, memini, qua me quoque voce vocabas,  
42 si memor es, fratris tu miserere tui.

## ELEGIA VII

AD LUDOVICUM HUTTENUM EQUITEM AURATUM.

Q1\_07 v.1 Musa, mihi longo numquam defessa labore,  
2 pro me quodquod onus quae patienter obis,  
3 per tot me morbos, per tot solata labores,  
4 una comes multis saepe relictis malis,  
5 longa iterum metuenda tibi via, et minus, instat,

6           perge, decebit onus te subiisse meum,  
7       vade per Hercynium protensi fluminis Albim,  
8           cujus habet laevas accola Saxon aquas,  
9       atque ubi transieris magnam Brunonis ad urbem  
10       et vaga Brunsvigio subdita regna duci,  
11       labere trans curvi fruticosa fluenta Visurgi,  
12       qua tenet arboreos monticola Hesus agros ;  
13       fagina dehinc restat montosis edita silvis,  
14       qua celer ulvas Fulda refundit aquas ;  
15       hinc pete vitiferi pigre euntia flumina Moeni,  
16       Francia nobilibus qua jacet ampla viris ;  
17       ipse tibi notus locus est, Ludovicus ubi arcem  
18       Huttenus pulchra condicione tenet :  
19       dirige, Musa, pedes istuc, equitemque serenum  
20       tristis adi, lacrimas cernat ut ille tuas.  
21       Invenies bijuges agitantem in pulvere currus,  
22       aut premere armatum terga fugacis equi,  
23       tractantem galeas gladiosque et missile robur,  
24       versantem hostiles Marte favente vices :  
25       quicquid agat, pete, Musa, virum, pete protinus istum,  
26       nulla verecundi signa pudoris habens ;  
27       viderit has lacrimas disturbatosque capillos,  
28       viderit in teneras unguibus isse genas.  
29       Ingemet et dicet "Quae, nostrae gloria gentis,  
30       causa movet fletus tam impetuosa tuos ?  
31       An dolet Ulricus iterum sorte actus iniqua,  
32       et tandem in casus incidit ille novos ?"  
33       "Incidit" exclama lacrimasque exterge profusas  
34       atque "Utinam consors" dic "foret ille tibi !  
35       Hunc, juvenes saevo defectum vulnere vires,  
36       quartana corpus discutiente febris,  
37       et tandem varios passum, velut ante, labores,  
38       aptantem fortes in sua fata animos  
39       Lossius invasit raptor juvenemque superbum,  
40       heu mihi quam tristi, contudit invidia."  
41       Dehinc, ubi depromis miserandam ex ordine cladem,  
42       duc age cum lacrimis singula verba suis :  
43       difficile est blandas non exaudire puellas,  
44       saepe hae constantes deposuere animos ;  
45       gratia inest illis et habent quo ducere possint,  
46       et potes esse illa tu quoque parte valens.  
47       Nusquam aberit, nusquam tactas averterit aures,  
48       inque tuas tandem sentiet ille preces.  
49       Quam tamen implores vindictam, injuria poscit,  
50       et satis ipsa in se est causa movere potens.  
51       Tu quoque subde locum, faciemque ostende modumque,  
52       quo veniat nostris ultio digna malis ;  
53       ipse sciet merito fieri, sed nesciet artem.  
54       Tu doce, et haec lacrimis adjice verba tuis :  
55       "Est urbs in veteri Francorum condita bello,  
56       nunc quoque ab auctorum nomine nomen habens ;  
57       per mediam se Moenus agit pontemque subintrat,  
58       nec procul hinc Rheni vasta fluenta petit ;  
59       moenibus alta suis domibusque exstructa superbis,  
60       multum etiam populi laude superba sui :  
61       hanc Scythia cum Daco Rhodopesque habitator et Haemi,  
62       hanc Macedo et Graiae finibus ortus humi,  
63       hanc Asiae cognatus adit, venit Afer ad illam,

64 Gallus et Hispanus, Perses et Assyrius ;  
 65 undique tot gentes adeunt populique frequentant,  
 66 emporium omnigenis mercibus illa patet :  
 67 (tempus enim notum est) pater huc quoque Lossius ibit ;  
 68 Tu preme servatas obsidione, vias ;  
 69 ceperis, includas : neque enim confodere cautum est :  
 70 de sumpto poenas ipse poeta feret."  
 71 Haec age et observa si quid tangatur ab illis ;  
 72 si nihil, hoc iterum quo moveatur habes ;  
 73 collige gesta viri clarasque ex ordine pugnas :  
 74 illius in laudes area lata patet ;  
 75 ivit in adversos furibundo Marte Suevos  
 76 et pulchras Franci praesulis auxit opes ;  
 77 dispulit hinc Bavaros atque illinc perculit Hessos,  
 78 ipse suas gentes Rhenus adire tulit ;  
 79 deinde per oppositas Solymorum ad moenia gentes  
 80 appulit et rubri litora sicca maris ;  
 81 vidit opes Italas et eodem tempore Graias,  
 82 vidit in Hesperio consita regna freto,  
 83 vidit et Epirum, Corcyram Ithacamque vetustam,  
 84 amplaque Pellaeo regna relicta duci,  
 85 Isthmiacosque sinus, centumque per oppida Cretae  
 86 extulit in Paphiam lintea panda Cyprum,  
 87 atque interpositas Aegaeis Cycladas undis,  
 88 et Rhodon et Delum Carpathiosque sinus.  
 89 Huic tandem reduci frondentem ad tempora laurum  
 90 notum est Caesarias imposuisse manus.  
 91 Haec ubi pertuleris, non vilem Lossius hostem  
 92 sentiet, et spoliis ingemet ipse suis,  
 93 atque erit ut tandem precibus contendat amicis,  
 94 cui nunc nulla satis saevitia esse potest.

## ELEGIA VIII.

AD ULRICUM PANOVIUM GRIPESWALDENSEM, OPTIMUM AMICUM.

Q1\_08 v.1 Quicquid, amice, mihi crudeli Lossius ausu  
 2 intulit, ut spoliis saeviit ille novis,  
 3 ante mihi, memini, dicebas, ante monebas,  
 4 ne vellem infido credulus esse viro ;  
 5 narrabas similes quas sumpserat ante rapinas,  
 6 et potui monitu cautior esse tuo :  
 7 saepe tamen dixi "Vincet patientia, vincet,  
 8 donec ero, facili jurgia mente feram ;  
 9 viderit haec placide nec moto corde ferentem,  
 10 ingenium tandem mitius illud erit ;  
 11 nec bene certabit nisi causa mobilis ulla,  
 12 quae nulla ex nobis, ut moveatur, erit."  
 13 Tu tamen instabas iterumque ex corde monebas :  
 14 "Si sapis, aiebas, provida corda gere :  
 15 ut nihil instiges, haud facto, haud laeseris ore,  
 16 inveniet, qua te puniat arte, tamen ;  
 17 ipse sibi causam dabit invenietque quod "obsit,  
 18 atque aliqua saltem fraude nocere sciet ;  
 19 tu nihil offendes, causa tamen, ille nocebit :  
 20 ne noceat, magna est cautio habenda tibi."  
 21 Ille tamen, quia blandus erat, quia saepe bilinguis,

22           detinuit vultus calliditate meos.  
 23       Heu mihi, tot monitis et amico hortamine nondum  
 24           mobilis erravi credulitate mea.  
 25       Quod tamen erravi, venia sum dignus in illo,  
 26           non sprevi monitus, dulcis amice, pios,  
 27       fidus eram nimium, nimium patienter adhaesi :  
 28           quae culpa est, virtus haec eadem esse potest.  
 29       Da veniam, neque enim sprevi monilusque fidemque ;  
 30           da veniam : non est cur mihi abesse velis.  
 31       Crede mihi, nihil est cur irascaris amico,  
 32           tu culpa, siqua est, non moveare mea.  
 33       Adde rei eventum, vel quod mihi luditur uni,  
 34           si culpa est, nostro contigit ista malo.  
 35       Sed scio quid potius de me statuasque velisque :  
 36           fama est in spoliis te gemuisse meis ;  
 37       fama est continuas egisse in fletibus horas,  
 38           et maesta foedum mente tulisse nefas ;  
 39       mittitur huc etiam tristis tua littera dextrae,  
 40           littera flebilibus vix bene facta notis :  
 41       nulla mora in nobis, tua visa injuria nostra est ;  
 42           non possem fidei certior esse tuae.  
 43       Ergo ego perpetuas agitabo in pectore grates,  
 44           duret ut ex merito sollicitatus amor.

## ELEGIA IX.

AD NICOLAUM MARSCHALK DOCTISSIMUM VIRUM.

Q1\_09   v.1   I, mea, nec longos obeundo congere passus,  
           2       Musa, cothurnato suscipienda viro :  
           3       invenies illum placidas tractare Sorores,  
           4           invenies gravium volvere scripta virum ;  
           5       et jam forte vagas depingit in ordine terras  
           6           cumque mari silvas, flumina, rura, lacus,  
           7       et gentes quavis caeli regione repostas,  
           8           totque urbes graphico digerit in radio.  
           9       Dum licet, accedas, et quo decet ore saluta :  
 10           non est quem metuas reddere dura tibi ;  
 11       ut tamen admissa es et te mandata jubebit  
 12           edere, fortunas ordine pande meas ;  
 13       pande graves morbos, varios expone labores :  
 14           dixeris : aerumnas ingemet ille meas ;  
 15       utque malis olim tulit ipse simillima nostris,  
 16           dum leget, in promptu causa doloris erit.  
 17       "Utere sorte tua, cui nunc fortuna secunda est,  
 18           quem levat ex longo parta labore quies ;  
 19       utque tibi domus est, ut blandi muneris uxor,  
 20           ut grave sub tanto principe nomen habes,  
 21       dignum illis animum gere, et alto pectore gaude :  
 22           quid juvat in macra degere tristitia ?  
 23       Si tamen est cur forte velis tristatier aeger,  
 24           tristitiae causam nostra rapina dabit,  
 25       non equidem, ut vigiles consumas fletibus horas,  
 26           sed quo more licet tristibus esse viris.  
 27       Et quis non doleat ? Nec casu maereat illo ?  
 28           Quis posset nostris laetus adesse malis ?  
 29       Numquam aliquis potuit pejus succumbere nobis,

30 numquam aliquis potuit perditus esse magis.  
 31 Laetus eram, memini, fatus melioribus auris,  
 32 et potui patrias fungier altus opes  
 33 et patrium jactare genus, jactare parentes,  
 34 spemque aliquam vegeto sumere ab ingenio :  
 35 nunc jaceo in morbo, nunc saevo vulnere anhelus,  
 36 et sedet in membris vitaque morsque meis.  
 37 Huc fera paupertas sese applicat, huc ferus hostis  
 38 Lossius, ex Stygio bestia nata lacu,  
 39 qui miserum morbo pressum febribusque perustum,  
 40 palpantemque arida vulnera saeva manu,  
 41 seminecem patria direpto ejecit amictu,  
 42 nunc etiam assidua conficit invidia,  
 43 intenditque suo nimium crudeliter hosti,  
 44 insidias vitae disposuitque meae :  
 45 actum est de nobis, si quoquam ceperit astu ;  
 46 heu mihi, quam saevas jactitat ille minas ;  
 47 ipse suis manibus tepidum exhaurire cruorem,  
 48 ipse volet digitis membra secare suis,  
 49 percupidus venas validosque excindere nervos  
 50 intima sanguinea dirimet exta manu ;  
 51 utque agat haec, plateas et publica rura pererrat,  
 52 et nullo tutum me sinit esse loco.  
 53 Quem quia nil video scelerum piguisse priorum,  
 54 continuoque malis invigilare novis,  
 55 addam animo vires desperataque resumam  
 56 pace cruentatas causa agitante faces ;  
 57 armabo Clarias hydra lambente sagittas :  
 58 forsitan et telis concidet ille meis.  
 59 Quicquid erit, mallet privata pace teneri :  
 60 non sinit ille, suas ejaculatus acus.  
 61 Tu me, ne noceam, cessaverit ille, monebas,  
 62 atque odiosa tibi scripta cruenta refers :  
 63 ille nihil cessat monitus, nihil otia curat,  
 64 inque dies nobis horridiora parat."  
 65 Haec ubi tradideris vati, mea Musa, Thuringo,  
 66 ad mea rescripto carmine tecta redi.

## ELEGIA X.

## AD LECTOREM.

Q1\_10 v.1 Lossius hic meus est, haec est injuria, lector ;  
 2 jam potes in causa certior esse mea.  
 3 Ast ego, quem moles jamnunc premit ista malorum,  
 4 quem fortuna suo fecit abire statu,  
 5 qui nunc tot morbis et paupertate maligna  
 6 in sordes humili condicione feror,  
 7 non tibi de vili (procul hinc jactantia !) vulgo  
 8 emersi, veteri stemmate natus eques,  
 9 nota satis vetus est Huttenae gloria gentis,  
 10 nota satis generis sunt monumenta mei,  
 11 insignita locis et rebus splendida gestis,  
 12 et nusquam foedis obnebulata notis.  
 13 Ille etiam qui me genuit, non proelia tantum  
 14 gessit honorato perpetuanda stilo,  
 15 multae urbes illum rebus petiere gerendis,

16           consilio magnos adjuvat ille duces ;  
 17       sunt et opes et digna viro possessio tanto,  
 18           junctaque nobilibus edita mater avis :  
 19       si videas arces, si consito in ordine villas,  
 20           jurabis magni principis esse domos ;  
 21       si comitum turbam, si jura domestica cernas,  
 22           "Ille aliquo, dices, fungitur imperio."  
 23       Omnia magna satis cultuque instructa decenti,  
 24           omnia sunt verbis uberiora meis.  
 25       Hoc ego sum genitus, quamvis modo vilis et exspes  
 26           in varios casus, sorte jubente, ferar.  
 27       Non volui patrios liber vacuusque penates,  
 28           non volui noti rura tenere soli :  
 29       plus placuit loca posse mihi peregrina subire,  
 30           dum vigeat studiis laeta juventa suis,  
 31       dum vigeant anni vegetique simillima veris  
 32           exhibeant vires tempora prima bonas :  
 33       nusquam habitare magis quam me delectat ubique,  
 34           undique sunt patriae rura domusque meae ;  
 35       cumque alius dulces dubitet liquisse parentes  
 36           nec velit a patrio longius esse solo,  
 37       me juvat esse aliquid famamque extendere factis  
 38           et tepidum obscura tollere nomen humo.  
 39       Hoc fertur Samio tantum placuisse magistro,  
 40           ut peteret Pharios Italicosque sophos,  
 41       hoc etiam constat magnum voluisse Platonem,  
 42           dum varios orbis gaudet adire locos ;  
 43       fitque humilis qui magnus erat tantosque labores,  
 44           qui posset placida vivere sorte, subit.  
 45       Ergo ego sum pauper, quoniam hoc ditescere visum  
 46           et quoniam hae verae sunt mihi divitiae ;  
 47       atque ideo versor lato vagus exul in orbe  
 48           quod cupiam in culta splendidus esse domo.  
 49       Belle aliquis sentire hac me ratione probabit ;  
 50           improbat et coeptum Lossius odit opus,  
 51       et tantum mansisse domi bene vivere censet.  
 52           Dum saturat variis pectora deliciis,  
 53       dum sequitur patrias corrupta fronte puellas,  
 54           dum fuit in doctos innocuosque viros,  
 55       et solus dici cupit ista doctor in urbe,  
 56           quos titulos nullo gestat honore tamen,  
 57       mobilibus platanis longaeque simillimus orno,  
 58           quae saepe a rapidis decidit icta notis,  
 59       sorte sua gaudet tumidumque e pectore virus  
 60           non timet in quodvis exacuisse scelus :  
 61       non mirum est igitur si me violaverit illo,  
 62           quo saepe immundas polluit ante manus ;  
 63       nec mirum est quia sic cecidi, quia fusus ad imum  
 64           dissimilis videor nominis esse mei :  
 65       ipsa suas Fortuna rotas pro tempore versat  
 66           et levibus nostras axibus ambit opes.  
 67       Jus illi quod triste velit, quod poscat amoenum  
 68           efficere, et dubias datque rapitque vices,  
 69       nusquam firma loco, nec eodem cognita vultu,  
 70           lubrica et insigni mobilitate levis  
 71       nunc videt Aurorae nitidos ascendere currus,  
 72           nunc videt occiduas haec Phaethontis aquas.  
 73       Non aliqua tamen hos motus ratione gubernat,

74 omnia femineo ponit in arbitrio ;  
 75 falsa, fugax, truculenta, levis, vaga, turbida, pugna  
 76 miscet, agit, censet, proruit, odit, amat ;  
 77 fregit opes Fortuna meas animumque reliquit :  
 78 vellet et hunc fractum Lossius esse mihi.

## II

## ULRICI HUTTENI ADVERSUS UTRUMQUE LOSSIUM QUERELARUM LIBER II.

(914 vers)

## ELEGIA I.

Q2\_01 v.1 Ecce agit in vobis nostri pars altera fletus :  
 2 da placidam nobis, obvia turba, manum,  
 3 nec tibi sil placitum si quid male Lossius audet ;  
 4 audendum est qua nos juraque fasque sinunt :  
 5 saepe fuit virtus animum committere factis  
 6 et totum in vires extumuisse suas ;  
 7 sed quoniam immeritas praetendit Lossius iras,  
 8 et ferus in quodvis effluit ille malum,  
 9 displiceant vobis malesanae jurgia linguae,  
 10 nec moveant odiis crimina ficta suis.  
 11 Ille quidem tota graditur vesanus in urbe,  
 12 pallidus in mores ingeniumque meum,  
 13 exacuensque in me genuinos undique dentes  
 14 torva agit implicitis ora superciliis ;  
 15 si quis adest de me meritus bene, livet et odit  
 16 inque meos omnes publica bella parat ;  
 17 si quis item nobis non detrahit ore maligno,  
 18 ex merito musis obsequiturque meis,  
 19 hunc, nisi consensum dederit persuasus amicum,  
 20 impete conculcat, turbat agitque gravi.  
 21 Undique sollicitus de me varieque laborans  
 22 ut nostri magnam concitet invidiam,  
 23 quem movisse potens, monitis nisi forsitan illis  
 24 assistat studio credula turba suo ?  
 25 Ecce mihi tantos jamdudum impendit honores  
 26 Rostochium, ut vates dicar in urbe novus.  
 27 Intenditque meo ingenio sitibunda juvenus,  
 28 doctrinasque novas turba frequenter adit.  
 29 Aestuat ille magis nec adhuc sua spicula ponit,  
 30 et queritur sortis splendida dona meae.  
 31 Saepe quidem monui, si quid desistere posset,  
 32 ut saltem vellet lividus esse minus :  
 33 ille nihil monitis, nihil hortatore movetur,



34 et semper rabida crescit in invidia ;  
 35 nec satis apparet, siquem spoliaverit, illi,  
 36 inque animi vires insuper ire parat ;  
 37 vellet et in famam, sed debilioribus armis  
 38 nec famae, tanto nec nocet ille animo :  
 39 pugnet, agat, certet, laceret, furat, oderit, urat,  
 40 nos tuti nostro stabimus ingenio.  
 41 At tu sume meas dextre, pia turba, Querelas,  
 42 crede mihi, offensas res habet ista suas ;  
 43 siqua tamen pietas etiam jactetur in illis,  
 44 non est cur possis tu gravis esse mihi :  
 45 numquam aliquem laesi, numquam in certamina sumpsit  
 46 tela Lycambeae sanguine tincta notae,  
 47 infecitque meas petulantia nulla Camenas,  
 48 turbaque doctorum me bene ferre potest.  
 49 Ille tamen pugnat monitusque quiescere nescit,  
 50 quique sibi noceat, suscitatur ipse rogam.

## ELEGIA II.

AD D. THEODORICUM DE BULOW, EPISCOPUM LUBUCENSEM.

Q2\_02 v.1 Sume, Lubusini praesul sanctissime templi,  
 2 carmen et in patria condita scripta tua,  
 3 nec contende diu tecum, quis scripserit auctor :  
 4 non decet ex animo me cecidisse tuo ;  
 5 ille tibi scribit quem tu puerilibus annis  
 6 dignatus veri patris es officio ;  
 7 ille tibi scribit quem tu vice iudicis aequi  
 8 texisti indoctae plebis ab invidia.  
 9 Sume animos veteres priscumque agnosce favorem,  
 10 (quid cadit ex animo Fagina Musa tuo ?)  
 11 Atque ubi cognoris blandam, mea vota, salutem,  
 12 ad mea consuetum carmina pectus habe.  
 13 Ecce meas praesul laetata fronte Camenas  
 14 accipit, Hutteni plenus amore sui ;  
 15 ecce jubet faciles secum residere puellas  
 16 et totus nostro candet in ingenio.  
 17 Dii tibi dent tanti pretium non vile favoris,  
 18 qui memor, o longi, pectus amoris habes.  
 19 Si tamen inquiris quo me sors improba verset,  
 20 atque aliquam de me spesve metumve geris,  
 21 tolle quod invidiae est, quaque arsit Lossius ira.  
 22 Non erit angusto res mea fulta statu :  
 23 ille meas iniit furibundo Marte Camenas,  
 24 ille mei multum sustulit ingenii,  
 25 ille mei requiem studii placidosque recessus  
 26 turbat, et insano spicula corde vomit.  
 27 Ast ubi confectum telis famaue sinistra  
 28 impulero coepti paenituisse mali,  
 29 tota meae dicam placidissima tempora sortis,  
 30 usque adeo magnos intulit ille metus.  
 31 Causa tibi nota est, nota est injuria. Praesul,  
 32 utere iudicio tu super ista tuo,  
 33 meque tui semper, si forsam amare recusas,  
 34 quod salis est, vero dilige iudicio ;

35 nec facile a nobis priscos, antistes, amores  
 36 surripe, tu si quo commoveare novo :  
 37 non facile accedet, qui sit tibi gratior, alter,  
 38 quique tui meriti plus velit esse memor.

## ELEGIA III.

## AD AUDITORES SUOS ROSTOCHIENSES.

Q2\_03 v.1 Lossius, infami fultus spoliator honore,  
 2 ardet et insomni languet ab invidia,  
 3 dum juvenem Huttenum Musis sacroque labore  
 4 tandem aliqua fungi commoditate videt ;  
 5 frendit et insultat, fremit, aestuat, ingruit, ardet,  
 6 deque mea nimium condicione dolet ;  
 7 quodque meis faciles monitis committitis aures,  
 8 tam dolet hic quam vos forte juvare potest.  
 9 Palleat, insultet, contendat et ilia rumpat :  
 10 non habet in nobis sordida rixa locum ;  
 11 nos decet effrenes animo contemnere fastus,  
 12 proque truci faciles reddere fraude jocos ;  
 13 et facile has nugas, facile has contemnimus iras :  
 14 nil nocitura leves tela movent animos.  
 15 Non habet ille tamen, quo juste intendere possit,  
 16 et causa in nobis, qua moveatur, abest.  
 17 Vos igitur, juvenes, mecum florentibus annis  
 18 si sapitis, veras carpите mentis opes,  
 19 nec legat vobis crescentes Lossius annos,  
 20 utilius studiis consule quisque tuis.

## ELEGIA IV.

## AD EGBERTUM HARLEM, HOSPITEM SUUM ROSTOCHIENSEM.

Q2\_04 v.1 Ardet in Egbertum calido mea Musa favore,  
 2 hunc solum ante oculos ponit hahetque virum ;  
 3 ex merito venit omnis amor : meruisse fatemur,  
 4 et decet accepto reddere quemque bono.  
 5 Quod pater est mihi, quod genitrix, quod turba sororum,  
 6 et quantum in nobis frater amoris habet,  
 7 deposui tecum, tibi me vovique dedique ;  
 8 quicquid aves, de me sumere jure potes,  
 9 praecipe, mox pro te medios proficiscar in hostes :  
 10 quae posset nostras copia ferre manus ?  
 11 Praecipe, vel fluctus vel eam moriturus in ignes ;  
 12 nulla mora est : pro te cuncta subire libet.  
 13 Non tamen ista jubes, saltem memorem esse placebit ;  
 14 forsitan et haec pietas sufficit una tibi.  
 15 Dum ruit occiduas Germanus Rhenus in undas,  
 16 dum petit Euxinas Ponticus Ister aquas,  
 17 dum mare tot terras, dum caelum circuit undas,  
 18 semper eris menti portio fida meae.  
 19 Contigit huc nudum amissis divertere rebus,  
 20 quartana pressum vulnere hiante febris,  
 21 suscipis ah miserum votisque accersis egentem :  
 22 dii reddant animae munera tanta tuae !

23       Pone leves igitur laudes blandumque laborem,  
 24           desine nil meritos tollere, Musa, viros :  
 25       totas iste tuas meruit pro tempore vires,  
 26           iste feret si quid carmen honoris habet.  
 27       O facilem pietate virum, nil mente superbum,  
 28           o semper laudi corda severa suae !  
 29       Te meus offendit, quoniam in me Lossius ardet.  
 30           Tu primum aerumnas commiserare meas :  
 31       aeger eram dederamque gravi membra aegra grabato,  
 32           tu petis ah morbo sordida tecta meo ;  
 33       copia nulla cibi, mensis inducis opimis.  
 34           Tu mihi delectas ponis, amice, dapes ;  
 35       per tua respirant arentes pocula fauces.  
 36           Tu vacuas laeto sufficis aere manus ;  
 37       nunc quoque, si quicquam gravius succedere visum est,  
 38           multa doles nostris motus, amice, malis.

## ELEGIA V.

## IN PHILOPOMPUM QUEMDAM.

Q2\_05   v.1       Sume animos iterum et lepidum, mea Musa, timorem  
           2           femineoque leves excute corde metus ;  
           3       non tamen ut pugnes aut quemquam prima laccessas,  
           4           sed sit ut ex monitu cautior ille tuo.  
           5       Si mihi notum animi fastus simulataque virtus,  
           6           vix etiam accessus perferet ille tuos :  
           7       tu tamen accedas et, quo licet ire, fereris ;  
           8           non omnes levibus dimovet ille minis,  
           9       terreat imbelles et inania pectora pulset.  
 10       Nos aliquid nostro fidimus ingenio :  
 11       non omnes mordacis agunt convicia linguae,  
 12           saepe quid adversos substitit ante notos.  
 13       Quid tibi cum teneris, osor Philopompe, Camenis ?  
 14           Quid petis immiti Musica sacra manu ?  
 15       Quid profugum Huttenum toties sua fata gementem  
 16           infestas odiis, invidiose, novis ?  
 17       Si bene succenses nec iniquo duceris ausu  
 18           et causam in nobis, quae tibi praestet, habes,  
 19       non opus occultas in nos committere fraudes,  
 20           sed potes haec patulum ponere in arbitrium.  
 21       Certum est te nocuisse mihi, voluisse nocere,  
 22           certum est rumores attenuasse meos,  
 23       multaque de nobis lingua statuisse severa  
 24           quae nolles coram proposuisse mihi.  
 25       Pone tuae freno admoto convicia linguae,  
 26           pone, precor, duram, si potes, invidiam,  
 27       aut si forte nequis et te quid laedere oportet,  
 28           si non vis nobis parcere, parce tibi.  
 29       An juvat huic rabidis moliri incommoda verbis  
 30           quem notum est numquam sic nocuisse tibi,  
 31       quique tuas laudes aequo dispersit honore  
 32           et qui omni de te suspicione vacat ?  
 33       Laudavi vultumque tuum gestusque serenos.  
 34           Laudavi mores, osor inique, tuos,  
 35       omnia pro rebus, fictoque ex pectore numquam,  
 36           saepe tuum magni fecimus eloquium ;

37 non tamen ista tuum nobis causentur amorem  
 38 et sit in obsequio gratia nulla meo ;  
 39 quid petis innocuum, nihil in tua jura ferentem,  
 40 et nulla adversum condicione tibi ?  
 41 Si te laudis amor lacerandique atra cupido  
 42 spesque lucri rabidam cogit in invidiam,  
 43 invideas si quis meliori congerat auro  
 44 emanaturas tempore divitias ;  
 45 invideas famae, si quis meliore fruatur,  
 46 et siquem simili laedere more potes,  
 47 nos tenuis victus et famae portio quanta  
 48 non sinit excelsis officere ingeniis.  
 49 Nec potes ex isto spoliū decerpere bello :  
 50 arcanos (nescis) res habet ista metus ;  
 51 sunt etiam nobis animosae in proelia vires  
 52 et tela ultrici discutienda manu,  
 53 nec leve de nostro surgit molimine vulnus,  
 54 livet et absque omni plaga relanguet ope,  
 55 quam neque restituat mixtis Podalirius herbis,  
 56 nec Phoebi patria curet alumnus ope,  
 57 quam male componant docti medicamina Crinae,  
 58 quae refici Coe nolit ab Hippocrate.  
 59 Verte animos ! Sunt et nostris sua vulnera telis,  
 60 et nimium duris scimus obesse modis ;  
 61 aut si nulla tibi pietas, et laedere quaeris,  
 62 et requiem studiis non sinis esse meis,  
 63 addam tela tuis atque arma coacta resumam :  
 64 adjuvat insultus tam bona causa meos ;  
 65 addam marte vices ausuque remetiar ausus  
 66 et reprimam Stygias in tua terga faces.  
 67 Quid tulit e nobis violenta Lossius ira,  
 68 expertus vires in mea fata suas ?  
 69 Hunc ego perfregi totumque sub infima mersi :  
 70 si sapis, exemplo cautior hujus eris.  
 71 Si possent levibus peragi mea pectora telis,  
 72 Lossius iste mihi quod cupit esse foret ;  
 73 sed quia nequicquam vestris invadimur armis,  
 74 consultum est telis abstinuisse tuis.

## ELEGIA VI.

AD JOANNEM CROTUM RUBIANUM, MAGISTRUM SUUM.

Q2\_06 v.1 Notus amor nostri tentataque foedera votis  
 2 me sortem hanc variis insinuare jubent.  
 3 Quis velit hospitibus peregrinam ostendere fraudem,  
 4 aut cladem, qua tu nil moveare, queri ?  
 5 Vix etiam haec veros lacrimis inducet amicos,  
 6 ut solet a flamma proximior domus.  
 7 Ecce sedet Musasque inter pulchrosque labores,  
 8 et nostri curam Crotus amicus habet,  
 9 huic nihil hoc toto semoti scripsimus anno,  
 10 ignaro quae me nutriat ora vagum,  
 11 ignaro qua sorte fruar, quibus utar amicis ;  
 12 et tamen in casus aestuat ille meos,  
 13 Dii tibi tantum animum meliora in tempora servent,  
 14 qui potes o nostris condoluisse malis,

15 nec vetus oblitus fraterni foedus amoris  
16 diluis alternum pectus in officium :  
17 me tua quaesitum bibuli Saxonis ad urbes  
18 missa est sollicitis littera facta notis,  
19 venit et ad Scythicos Germano in litore Cimbros  
20 et prope Pomeriis nuntia fama locis ;  
21 Marchia me tellus nusquam respondit euntem,  
22 nec facta est votis Francia fida tuis ;  
23 undique scrutanti quae me, sua foedera, tellus  
24 nutriat aut quamam condicione fruar,  
25 difficiles casus et duras undique clades  
26 pande coloratis charta referta notis.  
27 Decidet, ut nostrum ferventi pectore nomen  
28 viderit, et subiti corda stuporis aget ;  
29 decidet, ut tandem lectis ex ordine scriptis  
30 agnorit nostrae nuntia tristitiae.  
31 Pone graves animos, laetumque in fine malorum  
32 pectus habe, o mentis portio fida meae !  
33 Pone graves animos : melior fortuna secuta est,  
34 et possum elapsi nescius esse mali ;  
35 si qua tamen superest, hanc solam Lossius iram  
36 concitet, et motis causa sit haec furiis ;  
37 hunc tu in bella voces (cum sis in cetera clemens)  
38 molitum toties omnia dura mihi :  
39 aspera multa tuli, quae tunc graviora putabam,  
40 omnia duritiae sustulit ille sua.  
41 Haec quoque quae tecum privata sorte ferebam ;  
42 post veteres casus stat novus iste furor  
43 tanto aliis trucior, quanto leo cetera vincit,  
44 cum bilem huic torto verberare cauda movet ;  
45 Lossius effrenes simulatae vocis hyaenas  
46 vincit et immites efferitate leas ;  
47 Lossius et tigres et Poena animalia vincit,  
48 et magis Attalicis aestuat ille feris.  
49 Quantus hic insidiis tamen est quantusque furore,  
50 quantus ubi insanum turbine pectus agit,  
51 in me tantus erat, tantaque efferbuit ira ;  
52 quaque potest jam nunc arte nocere parat.  
53 Quid tamen effecit nisi quod nudavit euntem,  
54 ut possem efferri commodiore statu ?  
55 Res tulit hic parvas, ut multo plura tenerem :  
56 dum nocuit, damnis offuit ille meis.  
57 Nunc igitur tristes consumit lividus horas,  
58 et quia non potuit laedere, posse cupit :  
59 nulla quies illi, noctes vigilantur amarae,  
60 dum solitas animo concipit insidias ;  
61 luce operum vacuus ; nisi quod mihi obesse putarit  
62 nil agit, et studiis abstinet ille suis,  
63 insano livore macer caecoque veneno  
64 pallidus atque intra viscera rupta miser ;  
65 non cibus est illi gratus mensaque reponit  
66 vix bene libato pocula sumpta mero :  
67 ante oculos, illum, tamquam mea perstet imago,  
68 terret et hanc se jam coram agitare putat.  
69 Quando igitur nihil hunc commissi paenitet hujus,  
70 et semper fraudes ardet inire novas.  
71 Me decet ulcisci et caecos stimulare furores,  
72 ut tandem invidia tabeat ille sua.

73 Tu quoque, sive pedes numeris intexere malis,  
 74 sive placet scriptis ut pede liber agas,  
 75 ede aliquid, sed rumpe moras, impelle nocentem :  
 76 numquam animum melius exacuisse potes.  
 77 Ille quidem furit et vetitis nihil imperat ausis,  
 78 dum furit, in medio siste furore moras :  
 79 qui nihil innocuis sanctoque pepercit honesto,  
 80 huic te nulla sinunt parcere jura viro.

## ELEGIA VII.

## EPITAPHIUM M. JACOBI PAVER, OPTIMI VIRI.

Q2\_07 v.1 Flete, meae maestae, et lacrimas confundite, Musae,  
 2 et rigido teneras ungue ferite genas :  
 3 ille mei species, ille auxiliator honoris,  
 4 pulchram animam, caecas condidit in tenebras.  
 5 Rostochium studiis, patria Lubecia fovit,  
 6 oppida Germano nobilitata solo.  
 7 Ipse vagas merces primis exercuit annis  
 8 et didicit vafram multiplicare stipem ;  
 9 post ubi compertum est perituri gaudia mundi  
 10 ju se victurae lucis habere nihil,  
 11 sprevit opes rerum positaque cupidine lucri  
 12 maluit aeternas quaerere divitias ;  
 13 ergo illi spreto fallacis fenore nummi  
 14 assumpta est divi cura sacerdotii ;  
 15 ne tamen oratis tantum sacra poneret aris  
 16 et daret assiduas in sua thura preces,  
 17 decretum est teneram studiis ornare juventam  
 18 et velle iis animos erudiisse rudes,  
 19 atque ut ei pacta est Lunensis cura cathedrae,  
 20 edocuit pueros edocuitque viros.  
 21 Numquam luce vacans, numquam sine marte quietus,  
 22 semper agens variis sollicitudinibus.  
 23 Exemplum vobis, juvenes, aetate sequendum,  
 24 qua legitis vitae commoda quisque suae.  
 25 Ille videns luxus, iras, discrimina, caedes,  
 26 mollitiem, casus, jurgia, furta, dolos,  
 27 quasque senes curas, quasque illaqueata juvenus  
 28 volvimus, et varias sortis in orbe vices,  
 29 difficilesque ortus hominum et breve tempus honoris  
 30 vanaque, divitias, stemmata, regna, duces,  
 31 conjugiumque recens et pignora cara parentum,  
 32 et stata quaesitis otia parta bonis ;  
 33 ille videns, inquam, fragile et sine nomine corpus  
 34 vimque hanc, quae postquam crescere coepit abit.  
 35 Et faciles vetitis animos, in agenda rebelles,  
 36 et tantum duris cuncta paranda modis,  
 37 praecipitesque annos et post sua robora canos  
 38 et stabiles nulla conditione dies,  
 39 persimiles paleis ventoque fugacibus undis,  
 40 persimiles umbrae roboreisque comis ;  
 41 ille videns unum exitium justisque malisque,  
 42 non eadem extremi praemia judicii,  
 43 despexit siquid propius mortalibus esset,  
 44 concepitque animo fertiliora suo,

45 deditus ingenio, solius cultor honesti,  
 46 nusquam animo, nusquam relligione vacans,  
 47 et pius, et clemens, et vani exactor honoris,  
 48 nil peregre cupiens sollicitusque sui,  
 49 supplicibus facilis, caros adjuvit amicos :  
 50 o quantum rebus profuit ille meis !  
 51 Notum est in morbo nostros gemuisse dolores,  
 52 notum est in casus collacrimasse meos.  
 53 Tristis erat si quis nostrum non carperet hostem,  
 54 saepe illi in docto Lossius ore fuit ;  
 55 damnabat scelus enorme spoliumque nefandum,  
 56 damnabat siquid tristius esse potest.  
 57 Heu nihil exemptum, nihil hoc in tempore tutum,  
 58 omnia fracturae mortis in arbitrio !  
 59 Si potuit virtus claro superesse decore,  
 60 quid jacis in tantum, Mors, tua tela virum ?  
 61 Prorue de vulgo quemquam, sit vivida virtus,  
 62 tu nihil in vero numine juris habes.  
 63 At quia non standum est, sed in hac aetate cadendum,  
 64 et nihil incerto est certius exitio,  
 65 et quoniam nihil est, aevo ut speremus in illo,  
 66 omniaque ad nutum mors agit ista suum,  
 67 pone tuas lacrimas vanosque intercipe fletus.  
 68 Quale illi fuerat, tu quoque corpus habes :  
 69 quod tamen hic juvenis cecidit viridique sub aevo,  
 70 vertitur in lachrimas nostra Camena novas.  
 71 Sed tu qui transis, saltem, ut tranquilla quiescant  
 72 ossa, petes ; lacrimas nil cupit ille tuas ;  
 73 utque aliquo sacrum cultu venerere sepulchrum,  
 74 quattuor admissa carmina fronte legas.  
 75 Hic jacet exstinctus validus Jacobus in annis,  
 76 vir bonus, et magno presbyter ingenio,  
 77 qui, si divitiis, morum probitate vel annis  
 78 restitui posset vita, superstes, erat.  
 79 Ite graves, tanti, Manes, salvete, sepulchri ;  
 80 suscipiat prompto vos deus ipse sinu ;  
 81 ite revisuri magnorum arcana deorum,  
 82 jam dabitur vita prosperiore frui.

## ELEGIA VIII.

AD EOANUM HESSUM VIVACISSIMUM POETAM.

Q2\_08 v.1 Hesse, cothurnati divine poematis auctor,  
 2 Hesse, tui vates gloria prima chori,  
 3 siqua tibi veteris permansit cura sodalis  
 4 et potes Hutteni jam memor esse tui,  
 5 accipe ab extremo Germani litoris orbe  
 6 atque in Pomerio condita scripta salo,  
 7 fortunasque meas vultu cognosce sereno,  
 8 siquod adhuc prisci pondus amoris habes.  
 9 Quod tibi nulla meae delata est littera dextrae,  
 10 quod tibi tam longo tempore nulla salus,  
 11 non ea culpa mea est, sed, quae conatibus aequis,  
 12 sors levis, insano contrahit imperio.  
 13 Quae tacite nostras secuerunt tempora mentes,  
 14 omnia sunt nigris inficienda notis :

15 tota mihi morbo peregre traducta fameque,  
16 tota mihi in foeda condita pauperie.  
17 Ille ego, cui pater est vel eques, vel divite censu,  
18 cui fama est claros nobilis inter avos,  
19 quique aliquid didici Muis et Apolline dignum,  
20 et cujus magni tu facis ingenium,  
21 ore cibum petii peregrinas pauper ad aedes,  
22 nec puduit luteas sollicitare casas ;  
23 ante fores somnum gelida sub nocte petivi,  
24 vix raro surdas jussus inire domos ;  
25 rebus egens pressusque gravi, miser omnia, febri,  
26 paene eadem vitae cura necisque fuit.  
27 More viros nostro potuissem quaerere doctos ;  
28 impediit coeptam pestis amara viam,  
29 et quoties volui, toties magis illa furebat,  
30 ne foret hac una spe mihi certa salus.  
31 Sum tamen hinc tandem Pomeranam ereptus ad urbem,  
32 quae prisca indigenae nomina Griphis habet ;  
33 passus eram leviter, sed tunc graviora ferendo  
34 incepi veteris nescius esse mali :  
35 Lossius his natus cum patre nefarius auctor,  
36 Lossius Aetnaei saevior imbre freti,  
37 quem potes et tigribus torvisque aequare colubris,  
38 quem posses Libycas ante locare leas ;  
39 cui nihil humanum est, cui saevum marmore pectus,  
40 cui riget innata debile rupe caput.  
41 Primum erat ille mihi simulata fronte benignus,  
42 ut caperet tacitis credula corda dolis,  
43 hospitioque suas peregrinum accepit in aedes,  
44 et quae sperarem multa daturus erat ;  
45 promissa capiebar ope, instigabar amore  
46 quem gravis in vultu praetulit ille suo.  
47 Nondum certus eram famae exemploque peritus,  
48 nec qui me fida mente moneret erat :  
49 assuetas igitur paulatim intendere fraudes  
50 coepit, et has primum dissimulabat acus ;  
51 deinde nihil simulans spem frustrabatur inanem,  
52 jam nihil occultos ausus inire dolos :  
53 siquid erat quo me posset, velut ante, juvare,  
54 abstinuit palam commoditate mea ;  
55 difficilem accessum responsaque dura ferebam :  
56 sustinui tumidi jussa superba viri,  
57 sustinui arcanos in nostra negotia risus  
58 et coepi infectos dissimulare jocos.  
59 Saepe etiam nocuit verasque exercuit iras,  
60 quaelibet huic odii non mala causa fuit ;  
61 prodidit invidiam facies vultumque sinistrum,  
62 et ferus in torvo ferbuit ore furor.  
63 Una salus abiisse fuit, sed et ille vetabat  
64 jure suo, ut sumpto debitor aere fui ;  
65 saepe tamen monitus tandem discedere jussit,  
66 et notum est abitus sponte tulisse meos.  
67 Bruma fuit solitoque magis vis frigoris ingens,  
68 cogebat tamen hanc continuare viam ;  
69 vix modicum progressus eram campumque tenebam,  
70 cum sensi occultos verba fuisse dolos :  
71 ecce ruunt equites instantque minacibus armis ;  
72 sumitur e nobis quanta rapina fuit,



73 deripiunt vestes et toto corpore nudant,  
74 turba nihil morbos commiserata meos.  
75 Jusserat hoc sceleris commentor Lossius hujus.  
76 Jusserat, et fieri quod jubet ille decet,  
77 utraque jura docens, et tanto consule natus.  
78 Ostendam tamen hoc non decuisse scelus :  
79 nil ego de famulis querar ut facientibus illud,  
80 cogitur a domino subdita turba suo :  
81 ipse dabit poenas commissi Lossius auctor,  
82 ipse erit ingenio justa rapina meo.  
83 Vertitur in subitum mitis natura furorem  
84 et movet iratum tam bona causa animum ;  
85 arripui calamum rapiorque furentibus ausis :  
86 da veniam coeptis, magne poeta, meis ;  
87 ipsa suam poscit vindictam injuria, nec me  
88 ulcisci hoc alia condicione decet :  
89 tu quoque sic laesus fruereris talibus armis,  
90 quem memini duris saepe nocere modis,  
91 quem memini meritum vertentem in carmina telum  
92 laxa magis moto frena dedisse animo  
93 et Stygias movisse faces, sumpsisse furorem  
94 et totum telis incaluisse tuis.  
95 Quaeris an haec maneat, quam tunc, fortuna, ferebam :  
96 pone metus, pulchrum est res mea nacta statum ;  
97 nondum convalui totus viresque recepi,  
98 spes tamen est rator quam fuit ante mihi :  
99 Rostochiam spolio deveni nudus in urbem.  
100 Inveni doctos qualibet arte viros,  
101 inveni faciles et libertatis amicos,  
102 omnia pulchra magis credulitate tua :  
103 sic me juverunt, ita sum susceptus ab illis,  
104 ut videar patria non procul esse mea.  
105 Haec mea fortuna est, sed Lossius ilia rumpit  
106 et foede nostri pallet ab invidia,  
107 exercetque novas successu temporis iras,  
108 nec video culpa paenituisse suae.  
109 Paenituit, suus ut princeps irascitur illi,  
110 et quia tantorum est conscia mens scelerum ;  
111 deinde mei cunctos quia commiseratio cepit,  
112 quodque sua nostri vivit in urbe favor.  
113 Huic igitur parcas ? Aut me parsisse jubebis ?  
114 Et potes hoc aequo pectore ferre nefas ?  
115 Este procul, timidi, quique omnia fertis inulta,  
116 diluat offensas mens agitata suas,  
117 et quoniam magna est, ultricem, injuria, Musam  
118 excitet in famam, raptor inique, tuam.  
119 At tu, magna tui pars, Hesse, fidelis amici,  
120 qua decet haec saltem crimina mente feras,  
121 nil metuens, ne qua priscos oblitus amores  
122 defuerim scriptis tempora longa tibi.

## ELEGIA IX.

AD JOANNEM LOBERINGUM, PATRONUM SUUM IN CAUSA LOSSIANA.

Q2\_09 v.1 Musarum atque omnis cultor Loberingus honoris,  
2 quem decet humano ponere in ingenio,

3 Palladis et Clarii Loberingus Apollinis ardor,  
 4 Phocaica dignus tempora fronde tegi,  
 5 qui carmen, qui lege facit nova scripta soluta,  
 6 quique aliquid nitido perficit eloquio,  
 7 ille, inquam, tantus tantique decoris amator  
 8 sponte sua causam format agitque meam ;  
 9 jamque suas leges animo repetente recenset  
 10 et spoliatori jura timenda meo :  
 11 hoc duce iudicibus injuria nostra severis  
 12 panditur et lectum fertur in arbitrium.  
 13 Frennit et insano furit auctor Lossius ore  
 14 et dolet in partem quemlibet ire meam.  
 15 Ille nihil monitis, nihil hoc perterritus hoste  
 16 suscepit nostri jura patrocini,  
 17 ille meam quovis moderatur iudice causam,  
 18 jamque sua tabulas condidit ipse manu,  
 19 et mea subscribit posito instrumenta sigillo,  
 20 nuncque ore, scriptis nunc agit ille notis.  
 21 Quod meritum, quae causa virum in mea commoda movit,  
 22 quando alius vastas polliceatur opes ?  
 23 An tot opes superant, an tanta pecunia nostra est,  
 24 ut possim hostiles vincere divitias ?  
 25 An spes est illi in tam justae commoda causae ?  
 26 Proque suo quicquam ferre labore cupit ?  
 27 Non merui quicquam, neque jam dare munera possum :  
 28 justitiae solum diligit ille decus,  
 29 atque igitur misero fit defensator amico,  
 30 tam turpe intactum ne videatur opus,  
 31 neve suas frustra tentarit Lossius iras,  
 32 justitiae laxis exspatiatus equis.  
 33 Heu mihi, quam timeo, ne tandem cedere cogar,  
 34 cum meus immensas penderit hostis opes,  
 35 atque ego tam longe a patriis discretus amicis  
 36 non habeam dictis omnia temporibus,  
 37 neve egeat sumptu tandem Loberingus in illo,  
 38 et queat Hutteni taedia ferre sui !  
 39 Sed facile ex nostro tam vilem corde pavorem  
 40 suffers pollicitis, dulcis amice, tuis,  
 41 jamque nihil dubito, quin tu satis omnia possis ;  
 42 et potes, et partis te decet esse meae.

## ELEGIA X.

## AD POETAS GERMANOS.

Q2\_10 v.1 Grande, Elegia, iterum, nec onus vulgare subibis :  
 2 semper habes tua quod crura fatiget iter ;  
 3 tu tamen ire para, et nostris nil detrahe jussis :  
 4 hoc mihi non vilis munere surgit honor ;  
 5 labere per totos commisso Teutonas orbe  
 6 et patriae gentes ruraque culta meae,  
 7 non quod ibi merces fulvum tibi congerat aurum,  
 8 aut loca quod videas cognita saepe prius,  
 9 sed pete Germanos ex ordine quemque poetas,  
 10 patria vel quos hoc nomine terra colit :  
 11 ut quemque invenies, pro condicione saluta,  
 12 non referendus erit omnibus unus honor :

13 pars onerat Claria vivacia tempora lauro,  
14 pars vegeto ipsa sibi consulit ingenio.  
15 Qua se Varna celer vicinos fundit in agros  
16 et prope dux arcem Magnopolensis habet,  
17 Marschalcus faciles studiorum pondere Musas  
18 sustulit : hunc ego nil grande latere puto.  
19 Carpathus in flavos rapido ruit amne Prutenos  
20 Istula, Dantiscae dum petit urbis opus.  
21 Illic Suchtenius meritos descripsit amicos,  
22 jam procul a patria Sarmata factus humo ;  
23 Verberiusque celer, quo non velocior alter,  
24 accessit cupido musica transtra pede.  
25 Hinc tibi regressae (ni erraveris) obvius ibit  
26 Odera cum nymphis numinibusque suis ;  
27 urbs est ad fluvii ripas, ubi Marchia tellus  
28 tenditur ad fines, lucide Eoe, tuos,  
29 nomine Francorum portus ; Vigilantius illic  
30 musarum culto tradit ab ore decus,  
31 Trebeliusque meus Pomerano cum grege vates,  
32 qui scribit lepidis cultum epigramma modis :  
33 hic mihi non patria tantum sociatur eadem,  
34 vix animi voto junctior alter agit.  
35 Hoc duce, res vatium augetur, jamque impiger ille  
36 his studiis juvenes extulit Osthennios.  
37 At Phaethonteum porrecta Silesia ad ortum  
38 non nihil in nostra laude decoris habet :  
39 hic faciles elegos Corvinus protulit auctor,  
40 qui patriam Musis ingenioque fovet.  
41 Busta Sigismundi tamen hic venerare poetae,  
42 intempestive quem dedit hora neci.  
43 Rura Bohuslaus montosa Bohemicus ornat,  
44 ipse decus variae nobilitatis habens ;  
45 ingenium velox et nobile stemma parentum  
46 huic dedit et pulchras Antias addit opes ;  
47 et patriae consors apud hunc mihi Sturnus amicum,  
48 Francorum cujus nomine vulgus ovat.  
49 Hos ubi contigeris, tractu Eytelwolphi in illo  
50 praecipuae veniet nobilitatis eques,  
51 qui motos inter bellorum strage tumultus  
52 Caesariasque acies Teutonicasque manus  
53 proeliaque et ductas effuso sanguine turmas  
54 cum Musis placido permanet ingenio.  
55 Sed noti ad ripas Albis Saxonibus agris  
56 urbs est gymnasio nobilitata novo :  
57 vivit in hac Francus, patriae nova gloria nostrae,  
58 Phacchus, amicitiae portio fida meae ;  
59 cumque suo Phaccho parili conjunctus amore,  
60 qui miram ingenii vim, Spalatinus, habet.  
61 Est quoque Thuringus, cui fama urgente, Sibutus,  
62 Caesareae lauros imposuere manus.  
63 Et longe a patriis sejunctus Sprulius oris,  
64 qui juveni Italicos intonat ore modos.  
65 Hinc vicina petes Misneae moenia Lipsae,  
66 cui tandem famam Lusaca Musa dedit :  
67 Rhagius hic juvenes nec non quibus actior aetas  
68 erudit et teneris consulit ingeniiis ;  
69 saepe quid in vulgus magni gravis edidit Emser,  
70 et jam nescio quid secum habet ille novi.

71 Nec tu praetereas sublimem Virginis urbem,  
 72 paene habitat mediam Nisa puella viam :  
 73 hic bene de doctis meruit Gasparus amicis,  
 74 quem passim in numeris Musica turba colit.  
 75 Offeret excelsos digressae Erphordia vates  
 76 atque omnes junxit quos habet illa mihi :  
 77 Crotus in hac nobis sub primis praefuit annis,  
 78 Crotus, Apollineae fama superba togae ;  
 79 qui tibi, seu numeros seu quicquam lege solutum  
 80 scripserit, egregia laude probandus erit,  
 81 (sed dabit ipse meus veniam hac mihi parte magister :  
 82 quis non ingenio cesserit, Hesse, tuo ?  
 83 Te juvenem tetrico texentem verba boatu,  
 84 vincentem cultu tempora nostra novo,  
 85 pallida miratur victa gravitate senectus :  
 86 iudice me nil te haec tempora majus habent) ;  
 87 quique agit in studiis miro Temonius illis  
 88 Marte, nec est vili praeditus ingenio.  
 89 Passibus hinc aliquot spatio sejunctus iniquo  
 90 tranquillam vitam ducere Ruffus amat,  
 91 ipse sui totus, sed enim nec cedere cuiquam  
 92 aptus, ut ex quovis praemia marte petas :  
 93 consulit hunc Crolus, doctoremque eligit Hessus,  
 94 non nihil et crebro profuit ille mihi.  
 95 Francorum ad fines miris Tritemius abbas  
 96 artibus infami nomen ademit humo.  
 97 Hinc grave per montes et densas undique silvas  
 98 est iter in saltus, Phagina dura, tuos ;  
 99 haec etiam tellus, nostrarum conscia rerum,  
 100 nomen in Aoniae munere sortis habet.  
 101 Hic, ubi se Titan ab Eois erigit undis,  
 102 doctus habet patriae rura Capella suae ;  
 103 vivit ad occiduos Phoebai luminis ignes  
 104 Hopfo, pars animae, tu Philomuse, tuae.  
 105 Fagina sed qua se tellus demittit ad austrum,  
 106 exsulis Hutteni vivit uterque parens,  
 107 invenies fratres et forsitan utramque sororem,  
 108 stabit et ante oculos turba propinqua tuos.  
 109 Hoc tibi mandatum secluso in pectore serva,  
 110 ne quicquam in causa resciat illa mea ;  
 111 quod valeam incolumis, quod habent bene cetera, dices,  
 112 dum salvere meo nomine quemque jubes :  
 113 multa volet mater, sed tu, quid Lossius hostis  
 114 egerit, ut crebro sollicitata, tace :  
 115 audiat illa nefas, defectos decidet artus  
 116 et gelidum absque omni sanguine pectus erit ;  
 117 cura mihi est, male ne nostros ferat illa labores,  
 118 neve illi nova sim causa doloris ego.  
 119 Nesciat hoc genitor ; juvevis quoque nesciat, aevi  
 120 maxima qui post me tempora frater habet.  
 121 Transieris tristemque patrem vatesque relatos,  
 122 vertere ad arctoos officiosa polos :  
 123 salve, fida domus sacrorum, Fulda, tuorum,  
 124 de te praesentes testificata deos ;  
 125 salve, plena dei, patriae lux aurea nostrae,  
 126 quae facta es tantis hospita relliquiis !  
 127 O vetus hospitium et peregrinis mansio sacris,  
 128 quae claudis mirum hoc sub tua tecta decus,

129 te sibi delegit unam Bonifacius hospes,  
130 atque in te sanctos transtulit ille viros,  
131 templaque composuit fierique haec moenia jussit,  
132 et totam fausto condidit auspicio,  
133 digna tui cultus, numquam sine laude futura,  
134 hospitii semper cresce decore tui :  
135 huic urbi largita novas, Elegeia, laudes,  
136 abbatem noti quaere monasterii.  
137 Ah tantum petitura virum ne qualibet erres,  
138 angor ibi merito sollicitorque metu,  
139 respice quo studio eductus, quo sanguine cretus,  
140 et premat elatum quanta corona caput,  
141 quae sit fama viri, probitas, sapientia, virtus,  
142 et quibus hic culto praestet in eloquio.  
143 Omnia cognoris totamque inviseris urbem,  
144 Hartmannum flexo poplite, Musa, pete :  
145 praesule post veterem hoc urbs est celebranda Rabanum,  
146 qui mira in versu calliditate fuit :  
147 quod dices aliis, illi quoque dicere cautum est,  
148 ille dolet si quod nos male turbat onus.  
149 Francus in hac etiam subque hoc rectore sacerdos  
150 vivit et est nostrae promptus asilus opis ;  
151 et paribus studiis frater Georgius illi,  
152 clarus et ingenio dives uterque bono ;  
153 cumque illis hac laude valens Axungia Petrus,  
154 et minor in cultu cetera turba suo.  
155 Ne tamen offendat tuus hic te Tundalus hostis  
156 et male suscepta cogat abire via,  
157 Rivius ad patrii (pete et hunc) vada dura Visurgi  
158 Hessorum populis fama secunda viget.  
159 Videris hunc, per eos montes pete Westphala rura,  
160 qua novus hospitium Langius auctor habet,  
161 Langius et vates et equestri stemmate natus,  
162 et non vulgare in carmine pondus habens ;  
163 qua super ingenium Germana nobile fama,  
164 Buschius, ante alios, carmina scribit eques,  
165 Buschius, Aeoliis validus dare pondera nervis,  
166 Buschius, heroi pernicitate pedis,  
167 Buschius, ingenio vivax et, Buschius, ore,  
168 Buschius, antiquo stemmate natus eques ;  
169 et patria junctus volucer Murmellius illi,  
170 qui novitate elegi carminis auget opus ;  
171 quique suum vertit sacras Montanus ad odas  
172 carmen, et antiquo numina more canit.  
173 Nomina non memini, multos tamen ante videbis  
174 quam trifidum ad Rheni lintea flumen agas.  
175 Sulcat Agrippinam lunatum litus ad urbem  
176 Rhenus, et occiduum fertur in Oceanum ;  
177 clara opibus, munita loco, pollensque virorum,  
178 quaque est Germano majus in orbe nihil,  
179 nutrit honoratos sacrata Colonia vates,  
180 et facta est similis hoc quoque honore sui.  
181 Prima est ante alios Jacobo gloria Gaudae,  
182 qui miscet sacris Musica sacra suis,  
183 vix alius nostras callet studiosior artes,  
184 vix elegos vena candidiore facit.  
185 Et non vulgari peregrinus laude Remaclus,  
186 cujus pauca quidem, sed bona, visa mihi.

187 Quicquid ad expertum posses conferre poetam,  
 188 non etiam invalidus carmine Cantor habet.  
 189 Qua refluo Trevirum Rhenus capit amne Mosellam,  
 190 urbs fluvium pulchro est inter utrumque situ,  
 191 et locus et populus Mosis et Apolline dignus,  
 192 haec est Ulrici patria Fabricii :  
 193 hunc olim nobis fines pereuntibus hosdem  
 194 in studiis socium Pallas amica dedit ;  
 195 una quies unusque labor, communis utriusque  
 196 vita fuit, tantum contulit ille mihi ;  
 197 disjunxit tandem spatio fortuna locorum,  
 198 heu quantum studiis invidiosa meis ;  
 199 quod potuit fecit, sed fido ego corde tenebo  
 200 hunc juvenem et vera dignor amicitia :  
 201 ipse suum ad dulces carmen componere nervos  
 202 novit, et arguto dulciter ore canit.  
 203 Fluminis ad ripas vicinaque moenia Rheni  
 204 turba venit jussis crebra adeunda tuis :  
 205 magna Geresmundum servat Moguntia utrumque,  
 206 legibus Aonias jungit uterque deas.  
 207 Contentus parvo Nemetis prope moenia Spiraee  
 208 incolis angustas, Wiviphelinge, domos.  
 209 Non nisi quod sacrum est, studio complexe frequenti,  
 210 qui quicquid scribas, utilitate scatet :  
 211 multa, Jacobe, tibi debet Germana juvenus,  
 212 profeci monitis ipse ego saepe tuis.  
 213 Sturmis ei comes est, et Gallinarius illi,  
 214 et tu, qui nomen principis arce tenes,  
 215 plurima praeterea juvenum consortia vatum,  
 216 quos sibi doctrinis allicit ille suis.  
 217 Hoc etiam Augustus, quondam meus, orbe vagatur,  
 218 Wolphus, Plautino clarus in eloquio.  
 219 Branthus ab iis paulum semotus considet oris,  
 220 qui Germana nova carmina lege facit,  
 221 barbaraque in numeros compellit verba ligatos,  
 222 edit et ingenio carmina facta novo :  
 223 pulchre illi latum classis deducta per aequor  
 224 convehit insipidos quolibet orbe viros.  
 225 Et, qui materiam sumens, Philomusus, ab illo  
 226 spem sibi ventura posteritate facit,  
 227 armat et adversos furibundum carmen in hostes,  
 228 turpe viris censens omnia velle pati.  
 229 Barbariem contra pugnace Behelius ore  
 230 non sine victuro nomine castra locat,  
 231 quique suae nomen parit inviolabile Phorcae,  
 232 dum triplici sacros explicat ore libros.  
 233 Inter Germanos ad comica scripta poetas  
 234 primum ausus vetitas explicuisse manus.  
 235 Hos mihi praecipue blanda compelle salute,  
 236 deinde novi memores criminis esse jube,  
 237 quod fecit nobis, faceret quoque Lossius illis,  
 238 cui studium est multis posse nocere simul.  
 239 Vos ego Teutonicae verissima lumina gentis  
 240 (quando ita se praesens obtulit hora) precor,  
 241 non ut pro nobis quisquam mala carmina faxit,  
 242 in nova vel subito bella furore ruat,  
 243 sed doleat nostros, communia vulnera, casus,  
 244 atque animo tandem haec penitio trahat,

245 neve meo dicat versu petulantius usum,  
 246 dum queror offensas insinuoque novas :  
 247 si non ex merito, si non querimonia justa est,  
 248 si non insigni cogor ab opprobrio,  
 249 judicet ille meam, qui judicat omnia, causam,  
 250 et sint haec animae debita jura meae.  
 251 Tentavi hunc precibus, tentavi hortatibus hostem,  
 252 littera ad hunc exstat supplice scripta manu,  
 253 sed nihil efficio, nusquam hunc compellere possum  
 254 ipse suas in nos insuper auget acus,  
 255 ipse minas jactat, furit et convicia dicit,  
 256 jamque novum bellum nuntiat ille mihi,  
 257 persequiturque meos, siquem deprendit, amicos,  
 258 insidiasque mihi qualibet arte parat.  
 259 Non querar haec igitur, qui sic quoque laedere possem ?  
 260 An nondum offensis sufficit ille suis ?  
 261 Vestrum aliquis jam tutus agit fruiturque quiete  
 262 nec timet hostiles tutior insidias,  
 263 et tranquillus agens requiem putat omnibus illam,  
 264 quae sibi segura contigit in patria :  
 265 quisquis hic est, melius pro causa consulat illa  
 266 fortunamque gravi penset utramque animo :  
 267 ipse, quod in patria est et consuetudine multa,  
 268 nusquam inconsuetas sensit obesse vices ;  
 269 nos peregre juvit varios cognoscere mores,  
 270 non citra arbitrium, docte Tyane, tuum ;  
 271 dumque hincinde leves agimur varieque vagamur,  
 272 occurrit variis vulgus in ingeniis :  
 273 nunc inimicus adest, nunc se mihi praebet amicus,  
 274 nunc mihi qui prosit, nunc mihi qui noceat ;  
 275 sed quia fortunae est, habet inconstantia causam  
 276 nostra, quod ex casu dispere corde fruar.  
 277 Jam satis est vobis, quod, quae nunc aspera facta est,  
 278 numquam alicui vestrum, Musa, odiosa fuit.

\*\*\*\*\*